

Die Urkunden Lothars II., 6

(C.) In nomine omnipotentis dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hlotharius divina
praevenie clementia rex. Omnibus fidelibus sanctae dei ecclesiae nostrisque praesentibus
scilicet et futuris notum sit, quia Uualtarius fidelis ministerialis noster auribus innotuit
serenissimis nostris, qualiter quidam homo nomine Uuinebertus temporibus quondam
Drogonis Mettensis archiepiscopi res suae proprietatis ad ecclesiam sancti Arnulfi ea
condicione subiecit, ut ipse vel infantes sui ab omni publica exaccione et exercitali
expeditione redderentur immunes. Nos proinde, ut praefata ecclesia sancti Arnulfi
praenominatas res firmius valeat optinere ac memoratus Uuinibertus et filii sui, Teudoinus
scilicet et Beringarius, ab omnibus publicis exaccionibus absolvantur, id est a persolutione
stofae et ostili expeditione, easdemque res ipsi vel successores illorum sub constituto
censo, id est ex cera denariatas tres, securius teneant atque possideant, has auctoritatis
nostrae litteras fieri iussimus, per quas precipientes statuimus et modis omnibus
corroboramus, ut [ne]que comes vel quilibet ex iudicaria potestate minister nullusque
regalis missus discurrens a iam dicto Uuineberto filiisque eius seu posteris eorum ullam
exigat puplicam functionem, sed per hoc nostrae pietatis scriptum ipsi seu successores
illorum iugiter ab omnibus sint liberi exaccionibus atque securi et prenominatas res sub
censuali ordine firmiter teneant atque possideant, remota cuiuslibet inquietudine aut
repetitione. Et ut haec nostrae absolutionis et confirmationis auctoritas vera credatur ac
firmior habeatur, de anulo nostro subter eam iussimus sigillare. (SI.) Data II id. novbr. anno
Christo propitio regni domni Hlotharii gloriosi regis II, indiccione V: actum monasterio
sancti Naboris: in dei nomine feliciter amen.